

IPC S.

1567

1567

271a

oo  
Constat 3. M. in S. Hütten,  
zu Letza q. veltzi a. 1700.  
oo

6  
XVII, 284.

6

**MONOMACHIA,**  
**Mariti & Vxoris.**

DOCENS QVORVNDAM  
*maritorum nimis mise-*  
*ram lenitatem.*

Authore Carolo Niue-  
lio Tornacensi.

Anno salutis M. D. LIX.



MOMOMAMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

MOMOMOMOM

ORNATISSI-  
MO ET INTEGER-  
RIMO VIRO, D. PRI-  
mo Lacunario, Cæs. Maiest. à sacris  
& Eleemosynis, Præposito Ingln-  
heimensi & c. collegæ chariss. Ia-  
cob. Noguerras Decanus  
Viennens. Ferdin.  
Cæs. à sacris  
S. P. D.



QVOD IVBES,  
Prime integerri-  
me, vt ad te per-  
scribam, quid sen-  
tiam de eo Poëmate, quod nu-  
per ad me misisti, illud scias ve-  
lim, mihi ingenium, industri-  
A        am &

am & eruditionem illius ado-  
lescentis summoperè probari.  
Quare pro veteri nostra ami-  
citia te hortor & moneo, vt  
quæ tua est humanitas, & au-  
thorem iuues, & opus in vul-  
gus emittendum cures. Ita .n.  
fiet, vt multorum ingenia ex-  
cites, & adolescentum studia  
recrees, tibiq; immortalẽ  
gloriam compares. Vale opti-  
me Prime, & quo me amore  
hactenus profecutus es, in po-  
sterum complectere. Vale  
foelix. 4. Aprilis, An-  
no &c. 59.

*Primus*

PRIMVS LACV-  
NARIVS, IACOBO  
FERRVGINO LVDI.

moderatori oppidi  
Ciliae. S. D.



**C**VM ANIMO  
subinde uoluerem meo,  
cui potissimū hunc Mo-  
nomachiae Dialogū mi-  
hi ab amico minime uulgari, nuper obla-  
tum & dedicatum, typis excudi curarem,  
uenit mihi in mentem Ferruginu meus  
Cilianæ scholæ praefectus, qui, ut est uir  
integritate morum praeditus, ita etiam in  
omnium ferè Authorum lectione egregie  
uersatus, & insignis formandæ iuuentu-

A 3 tis ar-

tis artifex & moderator. Quare te per  
vinculum amicitiae nostrae, & communia  
pietatis, religionisq; studia rogatum ha-  
beo, ut hunc Dialogum pro tuis discipu-  
lis instituendis læta suscipias fronte. Sic  
aut illos informes, ut ingenia excolentes  
sua, specimen studiorū suorū doctis ali-  
quando exhibeant uiris: illos oblectent,  
& interim sibiipsis hac ratione alacri-  
tatem, facultatemq; seria proloquendi, et  
gloriam minime poenitendam comparent:  
quod & mihi tam gratum, quàm quod ma-  
ximè, & nomine tuo dignissimum  
fuerit. Bene Vale. Augusta  
8. Aprilis. Anno  
M.D.LIX.

Ad



AD REVEREN-  
DVM DOMINVM  
PRIMVM LACVNARI-  
um, Celeianum, Serenissimi Princi-  
pis ac Domini, D. Ferdinandi Ro.  
Imp. Eleemosynarium, & Sacella-  
num dignissimum Dominum  
suum obseruandissi-  
mum, S. P. D.

**D**ic mea Musa tuos quæ frangit inertia sensus?  
Vt sine prætereat carmine tota dies.  
Segnia sic torpens & inutilis usq; sequeris  
Otia? sic tempus desidiosa teres?  
Sic ne ego te patiar semper marcescere inertè  
Segnitie? tineas nunc aluisse sat est?  
Surge age, festina, ne quondam accepta senescat  
Gratia, nunc Primi est hinc adeunda domus.  
Muneris ingratus ne sim mea Musa recepti,  
Desidia uidear nec reus esse sibi.  
Vrbs est Boiorum terris contermina, cuius  
Fluctibus Alpinis irrigat arua Lycus.

A 4 Vrbs



Vrbs inquam celebris, toti notissima mundo,  
Quæ Duce ab Augusto nomen adepta gerit.  
In cuius medio Primi constructa superbit  
Hoc Domino insigni nobilitata domus.  
Hanc pete, ne dubites, Chyrrhæis namq; Deabus  
Limen & Aonijs uatibus usq; patet,  
Vtq; ingressa suæ fueris penetralia Sella,  
His primum uerbis (sed reuerenter) adi.  
Pyeridum decus, & uirtutum gloria Salue,  
Doctrina superans nobilitate genus.  
Carolus eternum tibi deseruire paratus,  
Si queat & meritis gratiam habere tuis.  
Quem tua sincero dignata fauore tueri  
Est pietas, dubijs & dare rebus opem.  
Me iubet hosce tibi donare in carmine lusus,  
Cecropio non sint tincta lepore licet.  
Munus id exiguum est, sed quale sit accipe leta  
Fronte, nec ingratus sit labor iste tibi.  
Nostraq; faulrici percurrito Carmina fronte.  
Commoda si quando tempora nactus eris,  
Viribus enitar summis aliquando uicissim,  
Vt tibi se gratum Carolus exhibeat:  
Viue Sybillinos fati felicitibus annos,  
Et studijs semper perge fauere: Vale.

E. V. addictissimus,

Carolus Niuelius,  
Tornacens.

PERSONARVM  
NOMINA.

*Morio.*

*Henno, Maritus Beatricis.*

*Musopolus Philosophus.*

*Beatrix.*

*Syraucina.*

PROLOGVS,  
Continens actiunculæ Argu-  
mentum, quem agit  
MORIO.

**H**Eus heus precor tacete uos, ego ut loquar,  
Qua gratiâ huc profluerim, de scenico.  
Et apparatus uerba traham in compendium,  
Conducta uobis lingua nostra uti iam siet.  
Vestros uicissim oculos nobis conduximus,  
Vestras & aures insuper, proinde uos  
Tacere, nos contra loqui pulchrè expedit,  
Namq; haud grauatè fecerimus uobis uiris  
Ridendi copiam, si nullæ huic choro  
Mulierculæ intererunt, facetijs leuibus,  
Aut si actio frigere uobis forstian

A S Vides

Videbitur, subdormitare fas erit,  
Mensamq; ad hanc uigilante naso stertere,  
Nos cæterum speramus atq; optamus sedulo,  
Ut incalescat acrimonia fabule,  
Primum minis, deinde pugnis, fustibus,  
Loris, & id genus saluatorijs  
Modis, Maritus namq; coniugis sue.  
De moribus præfectoribus uolet  
Iam nunc quiritari, atq; ea causa nihil  
Non experiri, Phreneticum malum  
Quo mitiget;  
Adortus atq; Philosophum, multijuga  
Sanè eruditione qui occaluerat, &  
Rerum magistra usq; experientia, didicit  
Verbis & herbis, & lapillis insuper,  
Coeleste numen indidisse semina  
Virtutis; unde Pharmacorum copia,  
Malagmatum, & Collyriorum promitur;  
Reuersus ipse, primum uerbis lenibus,  
Deinde tentat iusculis, uxoriæ  
Bilis metallum ad mitiorem inflectere  
Et institutionem & ordinem. Interim  
Quando illa ne pilo quidem modestior  
Euadit, at morosior, se conferens  
Ad ultimum demum maritus anchoram,  
Os, humeros, latera, cautè dura confricat,

Plagisq;

Plagisq; mansuetiorem reddit is  
Phrygem, Quid hic Ciconias exacuitis?  
Quod argumento nixa perplexabili  
Parum sit habitura fabula hæc fidei?  
Mendacis haud est Græcia de follibus,  
Sed de latinis moletrinis eruta,  
Scimus profecto maiora opera precia uos  
Grauioribus subinde ac rebus serijs  
Posse efficere, Sed interim laxandus est  
Honestæ animus remissione scholasticus,  
Satis superq; authori erit foetum suum  
Cum uos benignè suscepisse sentiet,  
Si uos sapitis, uobis prospicite, recta enim  
Me conferam in Gynecium, quo Bachides  
Plenis bacchaturas buccis huc euocem,  
Pugnacibus fauete uos pugnaciter,  
Nostro gregi clementer atq; faustiter.

FINIS PROLOGI.

*Beatrix incipit.*

Experta tandem sentio, quas coniuges  
Utrò maritis subijuge molestias  
Sibi attrahant:

St

Sic pro nubæ uisum est Iunoni, cui placet  
Formas & animos impares sub iuga aeneas  
Permista saeuo cum ioco committere,  
Plerisq; successit ea res faeliciter,  
Verum (quod est haud illepedo Prouerbio  
Tritum) securos non fert semper fluuius,  
Nunc quando quæ sunt facta abire non queunt  
Infecta, & ora coniugali præbita  
Nobis capistro urgent ineluctabilem  
Necessitatem, destituta Aquilonibus  
Me conferam ad remos, necessitatem acri  
Virtuti nunc cogens subauxillarier.  
Nec me fugit quòd finis operas mutuas  
Partitione noctæ honesta ac utili,  
Mariti enim foris parant, nos parta domi  
Seruamus, & producimus hanc industriam  
Domesticos intra parietes, limine  
Tenus, quid ergo mirum erit si menstruum  
Sit mutuum Imperium uel Hebdomadicum?

Syra.

Oratio est honesta Beatrix, ut quando  
Communis est proles, thorus, cibus, penus,  
Commune sit nobis magisterium quoq;  
Vam more multi isto uirorum atq; exemplo  
Niuunt hodie, ædepol quibuscum censeas

Dum

Dum posse uitam effingere ad certum scopum,  
Hi protinus magistratum omnem uendicant,  
Quod si reclamitent, & equo iure cum  
Seuis maritis coniuges desiderent  
Decernere, & peccauerint uel Syllabam,  
Tam maculosum fiet corium quam pallium  
Nutricis, beccine est bella illa concordiae  
Et corporum coniunctio atq; mentium?

### Beatrix.

Fateor, sed ista parcius tamen uiris  
Sunt obijcienda: quos Deus primos uoluit  
Artificis esse Plasma dextrae fictile,  
Et uir quidem (si credimus Paulo) Dei  
Ipsissima est imago, & splendens gloria.

### Syra.

Quid tu mihi Paulum cui, si sint decem  
Linguae tibi, mutam esse prorsus addecet,  
Nobis ubiq; Paulus ora consuit:  
Et Grammaticorum uulgus interim, non  
Aspergat acri lota aceto scommata,  
Argutis contendit hinc esse Etymon  
Nostrae eruendum dictionis, ut mulier  
Ceu mollis aer nuncupari debeat,  
Atq; haec acuta plane interpretatio

Cono

Consauciat famam, Per ecastor nisi  
Prouiderimus nobis, apud uiros erit  
Plusquam tyrannica seruienda seruitus.

*Beatrix.*

Porro priusquam in hanc palastram penetrem,  
Si res erit leuior, maritum iurgio  
Excipiam, ut haud me sentiat mutam, secus  
Certum est colis pro lanceis ac fustibus  
Vti: quis enim, iuxta uetus prouerbium,  
Nescit malo nodo petendum esse improbum  
Cuneumque molestiam insuper molestia,  
Clauumque clauo extrusero, ac nuper quidem  
Exorsa tela haec non male est omnino mihi,  
Domum is rediens nomen ferè mutat mihi,  
Nam pro Beatrice, iurgatricem ausus est  
Vocare.

*Syra.*

Tunc hic comprimebas lingulam?  
Ne gry quidem demurmurans?

*Beatrix.*

Proh Iuppiter,  
Ne illi hercle haud longè erat os ab infortunio,  
Ita denti frangibula haec meis in manibus

Adgen



Adgestiebant, Ipse aliorum contulit  
Pedes, procellæ ut cederet, nèue octipedem  
Exuscitans, crabrones uel laceßeret,  
Vel stridulam Cicadam ala corriperet,  
Atq; hæc quidem nostræ Prothasis est fabulæ.

### Henno maritus Beatricis.

Heu quàm uolente malè sum natus Genio,  
Nam mortuus pluris precist, quàm ego ipse sum,  
Cui tam probè cum coniuge conuenit mea,  
Quàm cum lupis ignis solet, quàm sedulo  
Compertus ipse sum tam refractariam  
Ut nil supra, detrectat obsequium, meam  
Conuellit ubiq; calcibus sententiam  
Fugisq; sed nunc frustra ego hæc quid persequor?  
Mea est abusa lenitate: qui fui  
Recrastinator usq; adeò, ut in me locum  
Prouerbialis Accessæi Luna habeat,  
Nam comperendinatio spectauerit  
Quorsum mea: haud uideo ut uelim tamen,  
Nisi quod incrudescentem usq; ad uerbera  
Acerbius rixam experior prudens sciens,  
Nam flamma fumo proxima est, proinde ego  
Nunc omnibus remoris postpositis, statui  
Virum eruditum & absolutum Philosophum  
Adire, cuius in sinum tuto queam

Effuna

Effundere omnem animi mei sententiam,  
Consultius puto futurum sic quidem,  
Quam compitis sinam omnibus dispalescere  
Domesticis quod erat claudendum finibus:  
Sed eccum cuius hic ego causa substiti,  
Salve perite iuris & legum sciens,  
Atq; eruditionis omnis antistes.

*Musopolus Philosophus.*

Saluum aduenire ac sospitem te est uolu  
Sed est medullas quod tibi mordacibus  
Distorqueat curis: & huius ergo ades:

*Henno.*

Videre mihi ipsam uel Sybillam in pectore,  
Vel Delphica omnino gestare oracula.

*Musopolus.*

Quis scrupulus te malè habet: mox explica.

*Henno.*

Mihi ducta nuper uxor est.

*Musopolus.*

Hoc est tibi  
Commune cum multis.

*Hen:*

Hen. Parumq; conuenit  
Cum coniuge admodum molesta.

Musopolus.

Tu caue  
Solutionem comminiscare interim, aut  
Diuortium, Clavis adamantinis tuæ  
Es alligatus uxori.

Henno.

Turbas ciet,  
Rixatur ad rauim usq; sedulo; facit  
Ex arbitrato cuncta proprio; nihil  
Authoritatis mihi reliquum nostris facit  
In ædibus.

Musopolus.

Ferenda sunt leuiuscula hæc,  
Olim immedicabilibus dissidijs, ultimum  
Vetusta lex permiserat perfugium  
Diuortium: nunc exoleuit funditus.

Henno.

Vtriq; uictum quærito, quàm maxima  
Possum fide atq; industria complutus &  
Aduſtus ut domum reuertor, uile uix

B

Holus

Molusculum in gabatis calet pultarijs.  
Longum tibi bone uir sit expectare, dum  
Comœdiæ huius expediam Catastrophen.

Musopolus.

Fortasse duxisti imparem etate.

Henno.

At uero

Triduum non interest, etatis uter fiet

Maior:

Musopolus.

Bene est, nam istud putant quoq; haud minimum

Ad optime constabiliendas nuptias

Habere ponderis.

Henno.

Dolet mihi insuper

Effrene quod os morsificationibus

Me lancinat, cum toto affinium genere,

Musopolus.

Si coniugis te pulsat morsificatio

Edentula atq; euanda, fac cogites,

Nil pertinere plus ad te, quàm Culices

Minus

Minutulos, omnino Elephantum ad indicium.

Henno.

Ita me dii ament, Lycurgus ut mihi quidem  
Videtur posset huc ad nequitiam adducier.

Musopolus.

Sed non decet uel nobilem atq; ingenuum  
Virum, uideri mobilem, qui pristino  
Virtutis exturbarier possit gradu,  
Leuis ut procella turbine, ad hac uirtus cum omnibus  
Tum maximo, uel maxime inconstantia  
Est turpitudini.

Henno.

Sed nodus hic non est loco hoc primarius,  
Musop. Proinde nobis aurium operam dato,  
Curato uterq; notus alteri ut probè  
Siet, priusquam mutua inter uos modo  
Disiliat beneuolentia, haud enim facile  
Sarcitur orta uel semel contentio,  
Si res atrocia ad conuicia maxime  
Processerit.

Henno.

Tantum precor me ut adiuues,

B

2

Potifin

Potissimum ut medear cerebro uxorio.

### Musopolus.

Ex uniuerso disciplinarum sinu,  
Et literarum myropolijs, sacrum  
Hoc axioma & inuiolabile eruunt  
Mysteriorum naturæ didascali,  
Verbis disertis, proximè herbis succiduis,  
Postremò inesse uim entheam baculis quoq;  
Quare ualebis facturus periculum,  
Istis gradatim num queas rationibus,  
Præfractius rubo arido refringere  
Uxoris ingenium, memor quod dictitant,  
Deliberare utilia mora tutissima est.

### Henno.

Sat est: habebo gratiam tuis bone  
Vir consilijs, si quid profecero quidem.

### Henno idem solus.

Res in uado est, industriam si nunc meam  
Sartam probè & tectam ut decet curauero.  
Sed quid ego? cur me excrucio? cur me macero?  
Domi salus uel ipsa suppetit mihi,  
Sperat quidem animus, quo eueniat, dijs in manu est,  
Mellitioribus primum sermonibus

Demul-

Demulsero, atq; hinc aucupabor gratiam,  
Si littus hic arauero:  
Descendam ad hortenses dein suppetias,  
Que sospitati cunq; herba putabitur  
Conferre coniugis, scitulè parabitur,  
Quod si refragari uolet conatibus,  
Asserrimis humeros fricabo cautibus,  
Pugnis pepercero, neq; tam est frictum cicer,  
Quam frictam ego reddam eius ad uiuum cutem,  
Multis meditatus hæc modis adibo eam,  
Deus nos respiciet aliquis. Salue meum  
Decus, meumq; corculum, salue anime mi.

*Beatrix.*

Portenta quæ uerborum in audio noua?

*Henno.*

Ex omnibus puellis quas Prouincia hæc  
Ferax alit, tenes ut te delegerim  
Sponsam mihi?

*Beatrix.*

Hic inceptat ecce fabulam.

*Henno.*

Ad hæc amabilis isthæc morum gratia,

B

3

Deside-

Desiderata in formis selectissimis,  
Sic te insinuauerat mihi, ut labra ab labris  
Auferre dispuderet, ita uadatum me  
Amore, uinctumq; attinebas optimo.

Beatrix.

Viscus merus tua haec blanditia est uerbero,  
Putas lepore & lenocinio linguae,  
Me posse pertrahi ad tuos mores, scelus.

Henno.

Quid o scelus? maritus anne sum tuus?  
Certemus obsequijs, ciuilitateq;  
Morum, quo uterq; praueuiamus alterum, fide,  
Humanitate, & amore haud temporario,  
Quibus uelimus nolimus tectum & torus  
Communis est.

Beatrix.

Quid tu mihi consomnias  
Iam de fide? quasi meam castè parum  
Pudicitiam seruauerim: quasi tibi  
Verni cuculi scomma queat aspergier,  
Vix comprimor quin inuolem tibi in oculos,

Henno.

Nil



**Nil suspicor minus, sed ô coniunx.**

**Beatrix.**

**Quid ô  
Coniunx, quasi tu huius indigeas coniugis.**

**Henno.**

**Licet ne paucas?**

**Beatrix.**

**Quiduis cupio, dumne  
Tuis inescari aucupijs comperiar.**

**Henno.**

**Dicam attamen sine.**

**Beatrix.**

**Dic age nunc sino.**

**Henno.**

**Meus  
Crede omnis huc spectat labor, quo te queam  
Consortio sed mitiori assuescere,  
Quasi incitabulum forem, atq; ipsa non**

**B 4**

**Graduat**

Gravate adimitareis, explendescere  
Interpolatura noua tuum ingenium  
Profecto aggauderemus opere maximo.

Beatrix.

Tibi impera, aut si non potes, per me quidem  
Quiritium adscribare legionibus,  
Vbi Imperator constituare bellicus.

Henno.

Proh Iuppiter quod nam malum domi meae,  
Quae coniugalis perniciēs in adibus,  
Quicquid loquor, furens nihilo pluris facit,  
Quam si ad sepulchrum mortuo dicam Iocum.  
Hac neutiquam succedit, est alia mihi  
Via tentandum, proximus est herbis locus,  
Vt scita Philosophi exequar, uel syllabis  
Tenus, Mea uxor forsitan dolet tibi  
Tuum cerebrum diminutum uiribus?  
Ibo teram si tu sinas holuscula,  
Hoc uere uere uiuida & uigentia.  
Et succulenta, En Helleborum, mentis tuae  
Vitijs leuandis & capitis perutile.

Beatrix.

Satin sanus?

Henno.

*Henno.*

*Nullum officium in me claudier  
Sinam, salutem comparo ex mea tuam.*

*Beatrix.*

*Que te mala crux exagitat tenebrio?  
Obtundas, imponas uerbis finem tuis,  
Si uertici uis esse consultum tuo.*

*Henno.*

*Pergin molesta semper aduersarier?  
Semperne uiperam fouebo in hoc sinus  
Que coniugalis perniciēs in ædibus?  
Porro ultima esto iacta nunc mihi alea,  
Adeste clara queso terræ munera,  
Satis superq; feriatī estis baculi  
Mei.*

*Vt fœda uos fuscavit hætenus scabies,  
Splendore, faxo explendescatis ut nouo.  
Heus uxor appara ocīus conuiuium,  
Luceſcat ignis cum primis in ædibus,  
Inſterne menſam dapſilem, nobis cutis  
Curanda cum bellis aliquot homunculis.*

*Beatrix.*

**B**

**Homunc**

Homunculos conuiuio excipis, nec habes

Murem unde pascas?

Henno.

Ocyus non promoues?

Beatrix.

Nihil minus.

Henno.

Quid ita?

Beatrix.

Quia non libet.

Henno.

Faxo

Libeat: Veteratrix antiquum obtines tuum?

Sed leniter qui scuiunt sapiunt magis,

Demens tum tergi id facis fiducia?

Furor fit laesa sepius patientia,

Prainde non prius quie uero, quam tuum

Tergum subijciam culcitram uibicibus,

Nunc accipe, accipe infortunium, accipe,

Tibi oris haecenus fuit satis, mihi

Cordis parum, sed hoc superest mihi consili,

Poste

*Posthac manu nolo crepent male tibi.*

*Beatrix.*

*Maſtare nunc me deſine infortunio,  
Marite, quiduis impera, iam pareo.*

*Henno.*

*Viſcus merus tua hæc blanditia eſt, & labris  
Tenuſ natant profuſa uerba ſcilicet.*

*Beatrix.*

*Tantummodo plagis iſtis finem face,  
Nec amplius malaciſſare pergito,  
Ita quaſi incudem cutem tundis meam.*

*Henno.*

*Malo nodo petendus eſt cuneus malus.*

*Beatrix.*

*Marite quaſo omitte hanc Comœdiam,  
Nunc induam perſonam aliam, quæ me hætenus,  
Quæ te nec nouerim, uidebis alteram  
Poſthac uiciſſitudinem, tantummodo  
Fugacibus commiſſa uentis tradito,  
Faciam Marite officiũ quo probes meum,  
Nunc gratulor ſanè mihi cui contigit*

*Tali*

Tali marito nubere, ut quæ proxima  
Eram periculo futura perdita  
Ni contudisses improbam ferociam,  
Nunc basium redintegratis symbolon  
Marite amoris imprime his genis, Quoad  
Sole hoc fruar uolubili, nihil fuerit  
Tam uile, quod non alacris obiuero ac libens.

*Henno.*

De me omnia polliceor tibi uxor, si tu eo  
Persistas animo, proinde quicquid est  
Connubialis beneuolentiæ illitum,  
Offensione, lite, uel aegritudine,  
Ex integro resarciemus ilicet,  
Nunc adhibitis fautoribus concordie,  
Charistiam pro more comparabimus,  
Interq; Mensæ sacra & animos hilares,  
Deæ Viriplacæ affatim litabimus.

**MORIO**

MORIO concludit.

**M**onomachiae finis hic imponitur,  
Iocisq; nostris, nam placato Coniuge,  
Pactoque dura foedere cum foemina,  
Nihil super uidemus esse consili,  
Quam Genio diem ut dicemus Principi,  
Bacchoq; plena proluamus guttura,  
Sed quis sequatur hos breues fructus iocos  
Latere non uos auditores uolumus,  
Cum temporis requirat illud ratio.  
Ergo mala negocium cum coniuge  
(A qua supremus nos custodiat Parens)  
Si quis habebit, hanc sequatur regulam.  
Verbis adire primum norit lenibus,  
Minis deinde, si nec hic profecerit,  
Operamq; forte perdere uidebitur,  
Baculis lorisq; tunc salutet Viperam.  
Pellemq; duris bene fricet cautibus.  
Malo nodo Cuneumq; malum petere  
Non dubitet, Clauumq; clauo pellere.  
Haec sunt quae cunctis longe praestant Pharmaca,  
Quod superest Spectatores clarissimi,  
Oramus uos, & obsecramus sedulo  
Ut si quid actum forsitan est perperam  
Placato nobis condonetis pectore,  
Actusq; nostros hoc loco dignemini,

Vt in

Vt inter sacra Musarum poni queat.  
Quo iure plus sibi author gratiæ arroget,  
Inter Latinos qui lutores, infimi  
Assessor est subsellij, quiq; ultimus  
Scriptorum ad hanc classsem paulatim nauigat.  
Sed his iocis datum satis est temporis  
Linguis fauete, & si meremur plaudite.

FINIS.

AD



AD MERCVRIVM.

DE REVEREN-  
DO D. PRIMO LA-  
CVNARIO, INVICTISS.

Ro. Imp. Eleemosynario & Sa-  
cellano digniss. D. meo  
obseruandissimo.

A V T O R E

Carolo Niuelio Tornaceñ.

**Q**uo properas facunde Nepos Atlantis? in aedes  
Principis Aonidum, quem sacra turba colit.  
Cur modo fers Cytharam? curserta haec laureas certe  
Digna Palatino munera Vate geris.  
Hec mittit Diuum consensu Iuppiter illi,  
In quo uirtutum gloria summa nitet.  
Ede precor nomen, si fas est scire, uocatur  
Primus Apollinei Duxq; Paterq; chori.  
Ille Poëtarum qui dat tot munera turbæ?  
Quo summus gaudet induperator? is est.  
Me sequere, illius cernes in sede canentes  
Istaq; gratanter dicere uerba Deas.  
Viuat in æternum Primus per secula uiuat,  
Nam Musas firmo pectore semper amat.

AD

AD EVNDEM D.  
PRIMUM. DE MOR-  
TE CAROLI V. MA-  
ximi. Rom. Imp. Hispa-  
niacq; Regis.

Eodem Authore Carolo  
Niuelio.

AD MORTEM.

**T**E quibus aggrediar uerbis Mors inuida? firmum  
Et constans mundo qua nihil esse finis,  
Dira mihi innocua mortalis uelle precari  
Abstine, legi Dei qui tenet astra regor,  
Aequa ego sum dicis? sed qua ratione Calorem  
Vita extinxisti Caesaris? Imperium  
Rektoris fuit hoc Diuorum, eiusq; uoluntas,  
Heu mundi lumen Carolus ergo iacet?  
Quem modo prosequitur lachrymis Europa peremptum,  
Affrica quemq; acti uicta dolore gemit?  
Non haec culpa mea est uestri fuit illa Parentis  
Prima lues? fateor nosq; manere necem.  
Cur igitur misera priuatus ualle malorum  
Defletur? pietas cogit amorq; iubet.

Non

Non iam sunt illi luctus suspiria curæ,  
Commoda fallacis ridet & orbis opes:  
Affrica & Europa exultent adscriptus Olympo est,  
Nec rursus imperij sceptrum tenere uolet.

AD EVNDEM.

DE CAROLO  
ARCHIDUCE  
Austriæ, Duce Bur-  
gundiæ, &c.

CAROLE qui patruum merito cognomine gaudes,  
Ad tua foelici tempora perge gradu.  
Resq; tibi ut fausto possint procedere cursu  
Optamus, patruo sis similisq; tuo.  
Laudibus hinc partis cum totum impleueris Orbem  
Virtutis dederis signaq; magna tuæ.  
Spiritus è fragili soluetur corpore mortis,  
Carolus & placida pace fruetur, AMEN.

C ORATIO

ORATIO IONAE:  
TV MVLT VARIO  
CARMINE REDDITA  
in gratiam Reuerendi Viri D. Pri-  
mi Lacunarij Rom. Cæs. Ma-  
iest. &c. Eleemosinarij, à  
Iohanne Puchlero  
Ratisbonensi.

**P**rompta percepit gemebundus aure precatus,  
**R**ector, ut accedo uoce rogante, poli.  
**I**n rapido nigri clamabam uentre Barathri  
**M**ites in uentos nec finis ire preces.  
**V**iuum Fluctisoni corpus maris unda retorset,  
**S**uppressum tremuit fluctibus usq; caput  
**L**umina credebam nostris tua clausa querelis,  
**A**te, dum mentem, postulo, moestus, opem.  
**C**or fuit in dubio uagus error pectora mansit,  
**V**iuus num possem templa subire tua.  
**N**amq; meam fluctus circumdedit undiq; uitam,  
**A**rtus concussit puppis & alta meos.  
**R**ursus at è medijs ducis me fluctibus undæ,  
**I**n cœlis regnas qui sine fine **DEVS**.

vt

**V** t uaga mutatum tenuit mutatio pectus,  
**S** ollicita Dominum pergo rogare prece.  
**V** t q; meo tristem prompsi de pectore fletum,  
**I** ram non ficta mitigo uoce tuam.  
**V** erum pro tanto quidnam tibi munere soluam?  
**A** ut laudes recinam qua ratione tuas?  
**T** ollam rite tuum sanctum super aethera nomen  
Perpetuoq; preces ad tua templa feram.

**C 2 SIMON**

SIMON AGRICOLA  
SVO REVERENDO  
Domino Primo Lacu-  
nario, S. P. D.

**M**OS erat antiquis toto memorabilis ævo.  
Romanisq; fuit ciuibus usq; frequens,  
Veloce quoties cœpit reuocare Calendas  
**I**ANVS, qui gemina lumina fronte gerit.  
Munere quod fidus donaret amicus amicum,  
Quod certum certi pignus amoris erat.  
Ergo Meccenas sanctarum fama sororum,  
Meccenas studij, portus, & aura mei.  
Ipse ego sim charos licet ultimus inter amicos,  
Quos tibi Theseo iunxit amore fides.  
Vtq; tuo uideas quantum studeamq; uelimq;  
Nomine, per Musas certior esse potes.  
Exemplo ueterum præstantia dona uirorum  
Si possem tantum talia ferre, darem.  
Sed **D**E A, quæ nimium uultu me terret iniquo,  
Impedit, ac memorem non sinit esse tui,  
Mittimus interea chartacea munera dono,  
Munera quæ mihi sunt diuite prompta penur.  
Quæ rogo sint animo memori gratoq; recepta,  
Neue tibi quicquam displicuisse uelint.

Namq;

**A**  
Namq; tuo donat mea mens animusq; favori,  
Quo nihil hoc nobis dulcius esse potest.  
Corpus & ingenij uires animiq; uigorem,  
Quicquid & est Vatis dedicat omne tibi:  
Adde quod est, supplex & prona mente precatur,  
Qui caret extremo principioq; DEVM.  
Annus ut hic foelix foeliciter usq; recurrat,  
Et tribuat uitæ mollia fata tuæ.  
Saluus & ut peragas longæuæ tempora uitæ  
Ex hoc in longos tempora longa dies:  
Quid memorabilius? uel quid præstantius unquam?  
Vtile quidûe magis maximus orbis habet?  
Quàm longæ quibus usus adest habuisse senectæ  
Qui Publica curant pro grauitate uiros  
Illis transacti spaciosi temporis ætas,  
Et sapere & multis consuluisse dedit.  
Sit satis atq; nouo uiuas benè saluus in anno  
Cunctaq; pro uoto stentq; cadantq; tuo.

DILINGÆ

Ex officina Typographica  
Sebaldi Mayer.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DILLINGE

Ex officina Typographica  
Schuldi Mayer









9/19 3442a

ULB Halle

3


004 771 036




f

SB.

HC





6

**MONOMACHIA,**  
Mariti & Vxoris.

DOCENS QVORVNDAM  
*maritorum nimis mise-*  
*ram lenitatem.*

Authore Carolo Niue-  
lio Tornacensi.

Anno salutis M. D. LIX.